

MARCOMER FRANCORVM REX.



MArcomer filius fuit Clogij Francorum regis, Is egregia indole præditus post patris mortem in regium solium subleuatus fuit, Anno Christi trecentesimo octuagesimo. Fuit hic Francorum rex in ordine quadragesimus. Is quatuor continuis annis bellum cum Romanis gessit, atque tandem ad Agrippinam cum ingenti præda uictoriam obtinuit. Huius regis tempore Longobardi, Vandali, Hunni & Gothi diuersis in locis Romanorum Imperium inuadere cœperunt, atque hinc inde hominibus exitio fuerunt. In eò tumultu nec Franci sibi cessandum rati. Itaque Marcomer Galias inuasit, omniaq; quæ prius Maximus Cæsar ab

stulit recuperauit. Tandem uerò à Valentiniano Imperatore in prælio occisus est. Ioannes Funckius in Chronologia.